

Zeitschrift: Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie
Band: 23 (1909)

Artikel: Quaestionem secundam primae partis Summae theologiae
Autor: Prado, Norbertus del
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-762066>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 29.11.2024

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

QUAESTIONEM SECUNDAM PRIMAE PARTIS SUMMAE THEOLOGICAE AN DEUS SIT

INTERPRETATUS EST FR. NORBERTUS DEL PRADO O. Pr.

Articulus primus.

Utrum Deum esse sit per se notum.

I. Praenotanda.

1. Duplex est veritas Divinorum, circa quam intentio theologi debet versari; duplex, inquam, non ex parte ipsius Dei, qui est una et simplex Veritas, sed ex parte cognitionis nostrae, quae ad divina cognoscenda diversimode se habet. Est veritas Divinorum, ad quam investigatio rationis pertingere potest; alia vero omnem rationis excedit industriam. Unde in his, quae de Deo confitemur, duplex est veritatis modus iuxta duplicem ordinem cognitionis nostrae circa Divina tam principio quam obiecto distinctum. (Lib. 1 contra gentes cap. 3. et 9. Lib. 3 Sent. d. 24 q. 1 a. 3 sol. 1 ad 1. Conc. Vatican., de fide Cathol. cap. 4.)

In hac secunda quaestione An Deus sit, agitur de his, quae vera sunt de Deo et ad quae etiam ratio naturalis pertingere potest. Inter ea vero, quae de Deo per lumen naturale rationis investiganda sunt, praemittenda est, ait D. Thomas, quasi totius operis necessarium fundamentum consideratio, qua demonstratur Deum existere. Quo non habito omnis consideratio de rebus divinis necessario tollitur. — Lib. 1 c. gent. cap. 9.

2. Circa Dei ergo existentiam triplex assertio seu positio: a) eorum, qui tradunt, Deum esse non indigere demonstratione; b) eorum, qui affirmant, Deum esse non posse demonstrari; c) eorum, qui docent, sanam doctrinam, scilicet Deum esse et demonstratione indigere et demonstrari posse et revera esse iam scientifice demonstratum, per illas nimirum quinque vias, quas Aristotele praeunte pulchre ordinavit magnaue luce perfecit atque amplificavit D. Thomas in art. 3. huius quaestionis et per integrum deinde tractatum de Deo uno, quoadusque in qu. 44 et 45 rigorose concludit ex ipsa scientifica notione, quam de Deo haberi oportet, processionem omnium rerum

ab Ipso per viam creationis. Metaphysica enim perducit ad cognitionem Dei tamquam ad principium sui proprii subiecti, velut ad conclusionem omnium veritatum, quasi ad terminum supremum cunctarum scientiarum. Unde Philosophus terminat considerationem communem de rebus naturalibus in Primo Principio totius naturae; atque Metaphysicorum libros ita claudit: Entia nolunt male gubernari. Unus ergo Princeps. „Et hoc est quod concludit, ait D. Thomas, quod est unus princeps totius universi, scilicet primum movens et primum intelligibile et primum bonum: quod supra dixit Deum, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.“ (Lib. 8. Physicorum lect. 23 et lib. 12 Metaphysicorum lect. 9.)

3. D. Thomas in praesenti quaestione, quae ad dogmata fidei est praeambula, procedit in articulo primo contra asserentes, quod Deum esse per se notum est; in secundo contra asserentes, quod Deum esse non est per demonstrationem scibile; et in tertio Deum esse demonstrat. Asserentes, Dei existentiam demonstratione non indigere, sub nomine ontologistarum cognoscuntur, vel quia revera ontologismi errores profitentur, vel quia ontologismo valde favent aut sic appropinquant, ut ontologismum sonent, vel quia ad ontologismum viam parant. Unde Dei existentiam velut quid patens et omnibus notum tradunt.

A. Primi, quoniam dicunt Deum per essentiam videri non solum in patria, sed etiam in via, quamvis non ita perfecte in via sicut in patria; et iste est error damnatus ab Ecclesia, de quo infra qu. 12: „Quomodo Deus a nobis cognoscatur“.

B. Alteri, quoniam ita ad litteram scribunt: 1. „Veritatem mendicare a veritate existentiae rerum finitarum esse noxam capitalem totius criticismi Kantiani.“ 2. „Dicendum est ergo primum fundamentum realitatis obiectivae entis generalissimi esse realitatem ipsam infinitam Dei.“ 3. „Elementum primum ontologicum conceptus entis esse Deum.“ 4. „Ex idea entis argumentando inferri potest existentia Dei, non autem existentia aliarum rerum.“ 5. „Quam ob rem quaerenti, quale sit cum praecisione elementum ontologicum entis, respondendum est: Primario est Esse Divinum, imperfectissime repraesentatum in mente; secundario autem sunt omnes res creatae possibiles vel actus existentes, prout in essendo aliqualem similitudinem habent cum Deo.“ Huiusmodi propositiones quantum distent

vel differant a subsequentibus, in quibus ontologismi fundamentale principium continetur, iudicet prudens lector:

Propositio 1.: „Immediata Dei cognitio, habitualis saltem, intellectui humano essentialis est; ita ut sine ea nihil cognoscere possit: siquidem est ipsum lumen intellectuale.“

Propositio 2.: „Esse illud, quod in omnibus et sine quo nihil intelligimus, est Esse Divinum.“

Propositio 3.: „Universalialia, a parte rei considerata, a Deo realiter non distinguuntur.“

Propositio 4.: „Congenita Dei, tamquam entis, simpliciter notitia omnem aliam cognitionem eminenti modo involvit; ita ut per eam omne ens, sub quocumque respectu cognoscibile est, implicite cognitum habeamus.“

Propositio 5.: „Omnes aliae ideae non sunt nisi modificationes ideae, qua Deus tamquam ens simpliciter intelligitur.“ — Quas quidem propositiones Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis Congregatio fer. 4 die 18 Septembris 1861 declaravit non posse tuto tradi aut doceri. At de huiusmodi erroribus infra 1. P. qu. 88 a. 3 „Utrum Deus sit id, quod primo a nobis cognoscitur“.

C. Tertio loco positi, quoniam cum S. Anselmo affirmant, non quidem nos intueri Deum in seipso, sed nos habere intuitionem veritatis huius propositionis: „Deus est“. Atque de hoc dumtaxat agit D. Thomas in articulo, ad cuius declarationem:

4. Adnotandum, veritatem alicuius propositionis esse per se notam dupliciter: uno modo secundum se et non quoad nos, alio modo secundum se et quoad nos. Ac per se notum quoad nos potest contingere adhuc dupliciter: 1. quoad omnes homines rationis usum habentes; et sic sunt per se nota prima principia humanae cognitionis, sive in ordine speculativo, ut „totum est maius sua parte, non datur effectus sine causa“, sive in ordine practico, ut „bonum est faciendum et malum vitandum; quod tibi non vis, alteri ne facias“; 2. quoad homines sapientes tantum, ut „incorporalia in loco non esse“.

II. Conclusiones.

Conclusio 1. Haec propositio: „Deus est“, quantum in se est, per se nota est.

Ratio. Ex hoc enim aliqua propositio est per se nota, quod praedicatum includitur in ratione sive essentia

subiecti, ut „homo est animal“, nam animal est de ratione hominis. Et tunc subiectum cogitari non potest sine hoc, quod praedicatum sibi inesse appareat. Sed in hac propositione: „Deus existit“, praedicatum est unum et idem cum subiecto atque in quidditate subiecti includitur. Deus enim est suum esse, ut ex professo declarabitur infra qu. 3 a. 4. Unde veritas huius primae conclusionis inde elucescit, unde inter se differunt creator et creaturae, Deus et omnia praeter Deum. Esse in creaturis neque est ipsarum essentia nec pars essentiae, sed quid essentiae inhaerens et in essentia receptum. In Deo autem esse est „substantia vel natura Dei“ (de Potent. qu. 7 a. 2). „Hoc autem, quod est esse, in nullius creaturae ratione perfecte includitur; cuiuslibet enim creaturae esse est aliud ab eius quidditate: unde non potest dici de aliqua creatura, quod eam esse sit per se notum et secundum se. Sed in Deo esse suum includitur in eius quidditatis ratione; quia in Deo idem est quod est et esse, et idem est an est et quid est. Et ideo per se et secundum se est notum.“ Disput. de Verit. qu. 10 a. 12.

Conclusio 2. Haec propositio: „Deus est“, non est nobis per se nota, sed indiget demonstrari.

Probata 1. Ex hoc, quod essentia Dei est suum esse, videntibus divinam essentiam per se notissimum est Deum esse. Unde in patria multo amplius erit tunc nobis per se notum Deum esse, quam nunc est per se notum: totum sua parte est maius; si aequalia aequalibus demas, aequalia remanent; aut quod affirmatio et negatio non sunt simul verae. Sed nos non scimus de Deo quid est. Quidditas enim Dei non est nobis nota. Hoc ipsum quod Deus est, est quidem suum esse; sed quia hoc ipsum, quod Deus est, mente concipere non possumus, remanet ignotum quoad nos. Ideo quoad nos Deum esse non est per se notum, sed indiget demonstratione.

Prob. 2. Aliud est, veritatem esse in communi, et aliud, Veritatem, quae Deus est, esse. Ens in communi esse, et similiter verum, quod cum ente convertitur, per se notum est quoad nos. Ens commune incognitum esse non potest; nam est illud, quod primum cadit sub apprehensione, et cuius intellectus includitur in omnibus, quaecumque quis apprehendit (1. 2. qu. 94 a. 2. De Verit. qu. 10 a. 12 ad 10). At veritatem, qua Deus est, esse, licet notissimum in rerum natura, utpote primum in

ordine essendi atque in ordine veritatis, est tamen ultimum in nostra cognitione. Etenim testante ipsomet Philosopho lib. 2. Metaph.: „intellectus noster sic se habet ad prima entium, quae sunt manifestissima in natura, sicut oculus noctuae ad lumen solis.“ Itaque, quamvis Deus sit in ordine intelligibilium Primum simpliciter, non tamen est Primum in ordine intelligibilium nobis.

Prob. 3. Ut haec propositio „Deus est“ esset nobis per se nota atque ex evidentia immediata cognita, deberet: 1. vel habere immediatam Dei intuitionem in via; 2. vel quod „esse illud, quod in omnibus est et sine quo nihil intelligimus, esset Esse Divinum“; 3. vel quod primum, quod a mente cognoscitur, esset ipse Deus. At primum cum sincera fidei doctrina in Scripturis tradita et in dogmaticis Ecclesiae definitionibus contenta conciliari nullatenus potest, ut in qu. 12. patebit. Alterum erroneum quoque est et „tuto tradi non potest“ ac damnatum iterum a Leone XIII. in propositione 1, 4 et 5 Antonii Rosmini.¹ Tertium denique ostenditur esse falsum: a) ex eo, quod omnis nostra cognitio ortum habet a sensu; ac Deus est maxime a sensu remotus; b) ex eo, quod substantiae separatae a materia nequeunt esse nobis primo intellecta, sed intellecta ex aliis; quoniam trans physica reperiuntur; c) ex eo, quod ad Deum cognoscendum pertingimus primo sub ratione primi motoris et primae causae, et consequenter ad ipsius cognitionem assurgimus ex ipsius effectibus.

Prob. 4. Ex ipsamet inefficacia argumentationis, qua S. Anselmus, Proslog. cap. 2, conatur monstrare, existentiam Dei esse quoad nos per se notam. „Credimus, inquit, te, Domine, esse aliquid, quo nihil maius cogitari possit. An ergo non est aliquid talis natura, quia dixit insipiens in corde suo: Non est Deus? Sed certe idem ipse insipiens, cum audit hoc ipsum, quod dico aliquid, quo maius nihil cogitari potest, intelligit quod audit; et quod intelligit, intellectu eius est, etiam si non intelligat illud esse. Aliud est enim rem esse in intellectu, aliud intelligere rem esse.

¹ Prop. 1: „In ordine rerum creatarum immediate manifestatur humano intellectui aliquid divini in seipso, huiusmodi nempe quod ad divinam naturam pertinet.“ Prop. 4: „Esse indeterminatum, quod procul dubio notum est omnibus intelligentiis, est Divinum illud, quod homini in natura manifestatur.“ Prop. 5: „Esse quod homo intuetur, necesse est, ut sit aliquid entis necessarii et aeterni, causae creantis, determinantis ac finientis omnium entium contingentium; atque hoc est Deus.“

... Convincitur ergo etiam insipiens, esse vel intellectu aliquid, quo nihil maius cogitari potest; quia hoc, cum audit, intelligit; et quidquid intelligitur, in intellectu est. Et certe id, quo maius cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo. Si enim vel in solo intellectu est, potest cogitari esse in re: quod maius est. Si ergo id, quo maius cogitari non potest, est in solo intellectu, id ipsum, quo maius cogitari non potest, est quo maius cogitari potest, sed certe hoc esse non potest. Existit ergo procul dubio aliquid, quo maius cogitari non valet, et in intellectu et in re."

a) In primis S. Anselmus laborat et sudat ad demonstrandam evidentiam immediatam huius propositionis „Deus est“ argumentatione subtilissima et haud facili ad capiendum. Et propositiones per se notae quoad nos non indigent tanto labore ad reducendum adversarium ipsas negantem in principium contradictionis.

b) Huiusmodi argumentatio est prorsus inefficax ad propositum. Quod ut manifestum fiat, sic ponitur sub forma: „Deus est illud, quo maius cogitari non potest. Atqui illud, quod non esse cogitari potest, est minus illo, quod non potest cogitari non esse. Ergo Deum esse per se notum est.“ Ergo qui negat Deum esse, affirmat contradictoria, nempe: „Id ipsum, quo maius cogitari non potest, est quo maius cogitari potest.“

1. Inter ipsos philosophos non defuere, qui dixerunt, Deum esse corpus, Deum esse materiam; et cuncti pantheistae cogitant de Deo aliquid minus, quam cogitari potest. Huiusmodi insipientes non existimant, Deum esse illud, quo maius cogitari non potest, et revera dicunt, Deum non esse. Nam ut ait D. Thomas in Psalm. 13: „Tunc ergo dicit aliquis, quod Deus non est, quando cogitat, quod non est omnipotens, et quod non habet curam rerum humanarum.“ Et in hoc art. ad 2: „Forte ille, qui audit hoc nomen Deus, non intelligit significari aliquid, quo maius cogitari non possit, cum quidam crediderint, Deum esse corpus.“

2) Praeterea Deus potest cogitari non esse, non quidem ex parte ipsius Dei, cuius esse est ipsius natura, sed „ex parte nostra, qui sumus deficientes ad cognoscendum ea, quae sunt in se notissima. Unde hoc, quod Deus potest cogitari non esse, non impedit, quin etiam sit, quo maius cogitari non possit.“ De Veritate, qu. 1, a. 12 ad 2.

3. „Dato etiam quod quilibet intelligat, hoc nomine Deus significari hoc, quod dicitur, scilicet: „Illud quo maius cogitari non potest“; non tamen propter hoc sequitur, quod intelligat id, quod significatur per nomen, esse in rerum natura, sed in apprehensione intellectus tantum. Non potest argui, quod sit in re, nisi daretur, quod sit in re aliquid, quo maius cogitari non potest: quod non est datum a ponentibus Deum non esse“ (ad 2).

Argumentum igitur S. Anselmi laborat vitio indebiti transitus ex ordine ideali ad ordinem rerum, ab ordine cogitationis ad ordinem obiectivum. Utique Deus est illud, quo maius cogitari non potest, sed cogitatio nostri intellectus non dat realitatem et actualitatem existentiae rebus ipsis cogitatis. Restat ergo adhuc investigare, utrum hoc, quo maius cogitari non potest, habeat a parte rei in ordine ontologico aliquid correspondens.

Conclusio 3. Haec propositio „Deus est“, potest dici per se nota apud sapientes.

Dicuntur communes animi conceptiones per se notae apud sapientes tantum, propositiones illae, quarum praedicatum esse inclusum in ratione subjecti tamquam scientificae ac rigore demonstratum apud sapientes tantum habetur, ut „incorporalia in loco non esse“. Ostensa ergo existentia Dei per illas quinque vias, quibus Deum esse probari potest, ostendi etiam valet, quod Deus non solum est sua essentia, verum quoque suum ipsum esse subsistens. Unde apud sapientes tenetur tamquam certa ex evidentia scientifica haec conclusio: „Oportet ergo, quod hoc, quod est „esse“, sit substantia vel natura Dei.“ (De Potent. qu. 7 a. 2.)

Et in Psalm. 13 explicans illa verba: „Dixit insipiens in corde suo: non est Deus“ D. Thomas scribit: „Sed numquid potest cogitare Deum non esse? Anselmus dicit, quod nullus potest . . . Sed sciendum est, quod de cognitione Dei dupliciter loqui possumus, scilicet secundum se vel quoad nos. Si primo modo, sic procul dubio non potest cogitari non esse. Nulla enim propositio potest cogitari falsa ex sua natura, cuius praedicatum includitur in definitione subiecti. Notandum est autem, quod in Deo est aliter „esse“ quam in aliis; quia esse Dei est eius substantia. Ergo qui dicit Deum secundum se, dicit ipsum esse. Et ideo secundum se non potest cogitari non esse.“ Cum igitur nulla res possit cogitari sine sua quidditate,

sicut homo sine eo, quod est animal rationale; inde est quod, praesupposita demonstratione existentiae Dei, et huius praeterea nempe quod Dei quidditas est ipsum suum esse, Deus non potest cogitari non esse.

Quamobrem D. Thomas lib. 1 Sent. dist. 3 qu. 1 a. 2 ad 4 dicit, quod „ratio Anselmi ita intelligenda est. Postquam intelligimus Deum, non potest intelligi, quod sit Deus et possit cogitari non esse. Sed tamen ex hoc non sequitur, quod aliquis non possit negare vel cogitare Deum non esse. Potest enim cogitare nihil huiusmodi esse, quo maius cogitari non possit; et ideo ratio sua procedit ex hac suppositione, quod supponatur aliquid esse, quo maius cogitari non potest.“ Hoc autem iam supponitur et tamquam certissimum habetur ab iis, qui et Deum esse et in Deo realiter identificari essentiam et esse demonstraverunt.

III. Observationes.

1. Cum apud Patres aut Doctores reperiantur hae vel aliae huiusmodi assertiones: „Nemo quippe mortalium est, cui non hoc ab eo naturaliter insitum sit, ut Deus esse cognoscat“; vel „insitum nobis a natura est, ut Deum esse noscamus“ (lib. 1 de fide orthod. cap. 1 et 3), intelligendae sunt: a) Vel in quantum per principia nobis quasi innata de facili percipere possumus Deum esse (in Boet. de Trinit. qu. 1 a. 3). b) Vel quia omnibus naturaliter insertum est aliquid, unde potest pervenire ad cognoscendum Deum esse (de Verit. qu. 10 a. 12 ad 1). c) Vel quia Deus est naturaliter desideratus et cognitus, non in sui essentia, sed in sui similitudine; in quantum scilicet Deus est hominis beatitudo; et dum cognoscitur verum quodlibet, cognoscitur virtualiter Deus, qui est prima veritas; et dum desideratur bonum, desideratur quodammodo Deus, quo diffunditur omne bonum. Sed hoc non est simpliciter cognoscere Deum esse (ad 1; de Verit. qu. 10 a. 12 ad 5; lib. 1 c. gent. cap. 11). Ceterum ipsemet Damascenus probate laborat Deum esse loco citato 1. ex rerum mutabilitate, 2. ex earum conservatione et gubernatione et 3. ex rerum ordinato situ.

2. Apud Patres, praesertim apud Augustinum, et apud Doctores, maxime apud S. Bonaventuram, adinveniuntur quaedam, quae Ontologismo favent vel Ontologismum ipsum ad litteram videntur sonare. Apud S. Aug. lib. 9 de Trinit.

cap. 7 et lib. 12 cap. 2; de vera relig. cap. 31; Confess. lib. 12 cap. 25. At haec explicantur a D. Thoma 1 P. qu. 12 a. 3; lib. 3 c. gent. cap. 47; de Spirit. creat. qu. unica a. 10 ad 8 et alibi; et exponit ipse Aug. aliis in locis, lib. 10 Conf. cap. 6; de Genes. ad lit. cap. 32.

Et S. Bonaventura lib. 2 Sent. dist. 23 qu. 3 a. 2 hanc materiam ex professo tractans tradit regulam generalem pro recta PP. et DD. interpretatione his verbis: „Communiter Doctores in hoc concordant, intelligentes illud, quod dicit Apostolus, quod quamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino. Unde si quae auctoritates illud dicere inveniantur, quod Deus in praesenti ab homine videtur et cernitur, non sunt intelligendae, quod videatur in sua essentia, sed quod in aliquo effectui inferiori cognoscitur. Unde in solo statu gloriae videbitur Deus immediate et in sua substantia, ita quod nulla erit ibi obscuritas. In statu vero innocentiae vel naturae lapsae videtur Deus mediante speculo, sed differenter; quia in statu innocentiae videbatur Deus per speculum clarum, . . . in statu vero miseriae videtur Deus per speculum obscuratum, et ideo per speculum et in aenigmate.“

Iuxta hoc D. Bonaventurae monitum vel benigne interpretanda vel omnino corrigenda aut reiicienda prorsus illa, quae ipsemet scripsit in Itinerario mentis in Deum cap. 5, nempe: „Nolens igitur contemplari Dei invisibilia, quoad essentiae unitatem primo defigat aspectum in ipsum esse; et videat ipsum esse adeo in se certissimum, quod non potest cogitari non esse; quia ipsum esse purissimum non occurrit, nisi in plena fuga tou non esse. Sicut igitur omnino nihil nihil habet de esse, nec de eius conditionibus; sic e contra ipsum esse nihil habet de non esse nec actu nec potentia nec secundum veritatem nec secundum aestimationem nostram. Cum autem non esse privatio sit essendi, non cadit in intellectum nisi per esse; esse autem non cadit per aliud, quia omne, quod intelligitur, aut intelligitur ut non ens aut ut ens in potentia aut ut ens in actu. Si igitur non ens non potest intelligi nisi per ens, et ens in potentia non nisi per ens in actu, et esse nominat ipsum purum actum entis; esse igitur est, quod primo cadit in intellectu, et illud esse est, quod est purus actus. Sed hoc non est esse particulare, quod est esse arctatum, quia permixtum est cum potentia, nec esse analogum, quia

minime habet de actu, eo quod minime est. Restat igitur, quod illud esse est Esse Divinum. Mira igitur est caecitas intellectus, qui non considerat illud, quod prius videt et sine quo nihil potest cognoscere! Sed sicut oculus, intentus in varias colorum differentias lucem, per quam videt cetera, non videt; et si videt, non tamen advertit; sic oculus mentis nostrae, intentus in ista entia particularia et universalia, ipsum esse extra omne genus, licet primo occurrat menti, et per ipsum alia, tamen non advertit . . . Esse igitur, quod est esse purum et esse simpliciter et esse absolutum, est esse primum, aeternum, simplicissimum, actualissimum, perfectissimum et summe unum. Et sunt haec ita certa, quod non potest ab intelligente ipsum esse cogitari horum oppositum, et unum horum necessario infert aliud."

3. Ontologismi error originem trahit ex confusione inter ens commune et Ens Absolutum, inter ens purum per abstractionem nostrae cogitationis et Ens Purum in rerum natura. Verum quippe est: Ens esse primum cognitum ab intellectu; nihilque intelligi posse nisi sub ratione entis vel per ordinem ad ens. At ens, primum cognitum ab intellectu, est quid transcendentale et quid ultimum per viam abstractionis; „non tam res completa, quam rei aliquid“ ut ait D. Thomas lib. 1 c. gent. cap. 26, ubi Ontologismi error eradicatur. Non est ergo Esse Divinum, quod primo cadit in intellectu, nec quod mens nostra prius cognoscit, nec quod primo occurrit in via nostrae cognitionis; sed e contra se habet in ratione termini atque est ultimum respectu totius cognitionis humanae. Ultimum namque respectu totius humanae cognitionis est id, quod est primum et maxime cognoscibile secundum naturam. (2. 2 qu. 57 a. 2.) Ratio humana primo et immediate intuetur ens commune, rationem entis a rebus sensibilibus abstractam, rationem transcendentalem per omnia rerum genera, et quae praedicatur de omnibus rebus non univoce, non per differentias contracta, sed analogice, secundum quamdam proportionem, per modos exprimendi ipsam realitatem rerum. At ratio humana minime intuetur primo et immediate Ens absolutum, quod est ipsum Esse a parte rei subsistens, et quod reperitur non in ultimo nostrae abstractionis, sed in ultimo nostrae scientificae cognitionis. Ens commune exprimit minimum de entitate, Ens Absolutum exprimit

totam perfectionem essendi. Non licet confundere ideam entis in communi cum idea Divini Esse; neque iterum confundenda idea entis communis cum idea existentiae; nam idea entis exprimit plus minusve explicite essentiam rei et ordinem ipsius ad existentiam. Ens est id, quod est vel habet esse. Id autem, quod est vel habet esse, duo plus minusve explicite exprimit, nempe et subiectum essendi et essendi actum. Unde D. Thomas de Pot. qu. 7 a. 2 ad 7: „Intellectus noster hoc modo intelligit esse, quomodo invenitur in rebus inferioribus, a quibus scientiam capit, in quibus esse non est subsistens, sed inhaerens. Ratio autem invenit, quod aliquod Esse subsistens sit; et ideo licet hoc, quod dicunt esse, significetur per modum concretionis, tamen intellectus attribuens esse Deo transcendit modum significandi attribuens Deo id, quod significatur, non autem modum significandi.“

Ex negatione igitur realis distinctionis esse et essentiae in rebus creatis aperitur via ad enormem confusionem, quam faciunt Ontologi inter ens in communi seu transcendente et Ipsum Esse Subsistens, quod est Deus. Iure merito D. Thomas in prologo ad opusculum de Ente et Essentia admonet lectorem, dicens ad hoc propositum: „Parvus error in principio, magnus in fine“.

Articulus secundus.

Utrum Deum esse sit demonstrabile.

I. Praenotanda.

1. Deum esse dupliciter quoad nostram cognitionem contingit: uno modo, Deum esse, ut est Auctor naturae; alio modo, Deum esse, ut Auctor est gratiae. Alterum comprehendit omne illud, quod de Deo est per creaturas cognoscibile; alterum vero refertur ad omne illud, quod notum est soli Deo de seipso et aliis per revelationem potest communicari. Unde D. Thomas 1 ad Cor. cap. 2 lect. 2 declarans illa verba: „Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei“, ait: „Dicuntur autem profunda Dei ea, quae in Ipso latent, et non ea, quae de Ipso per creaturas cognoscuntur, quae quasi superficie tenus videntur esse.“

2. Deum esse et alia huiusmodi, quae per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, non sunt articuli

fidei, sed praeambula ad articulos; ut D. Thomas explicat ad 2. Deum esse, ut gratiae est Auctor, ponitur ab ipso D. Thoma primum inter credibilia. Unde 2. 2 qu. 1 a. 7: „Omnes articuli fidei, inquit, implicite continentur in aliquibus primis credibilibus, scilicet ut credatur Deus esse et providentiam habere circa hominum salutem, secundum illud ad Hebr. cap. 11, 6: „Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit.“ In Esse enim Divino includuntur omnia, quae credimus de Deo aeternaliter existere, in quibus nostra beatitudo consistit; in fide autem providentiae includuntur omnia, quae temporaliter a Deo dispensantur ad hominum salutem, quae sunt in beatitudinem.“

3. Demonstrabile potest esse aliquid dupliciter: uno modo per ea, quae sunt priora tam in ordine cognitionis quam in ordine essendi. Alio modo per ea, quae sunt priora quoad nostram cognitionem, posteriora tamen in rerum natura. Prima est demonstratio per causam, per priora simpliciter, et dicitur propter quid; alia est demonstratio per effectum, per priora quoad nos, et dicitur demonstratio quia.

4. Ad probandum „aliquid esse“ necesse est accipere pro medio, quid significet nomen, non autem quod quid est; quia quaestio quid est sequitur ad quaestionem an est. Unde nihil obstat ad demonstrationem existentiae Dei, quod de Deo non possimus scire quid est; nam etiam in scientiis philosophicis demonstratur aliquid de causa per effectum, accipiendo effectum loco definitionis causae. Ad demonstrandum Deum existere accipitur pro medio, quid significet hoc nomen Deus; nomina enim, quibus Deum nominamur, imponuntur ab effectibus, ut postea ostendetur (qu. 13). Lib. 1 Metaphys. lect. 2: „Quia Deus hoc modo intelligitur ab omnibus, ut de numero causarum existens et ut quoddam principium rerum.“ (Qu. 1 a. 7 ad 2; in hoc art. ad 2 et in art. 3.)

5. Sicut quidam philosophi, qui communiter sub nomine Ontologistarum designantur, asseruerunt et asserunt, Deum esse non indigere demonstratione; ita et alii, quos Traditionalistas vocant, tradiderunt, Deum esse demonstrari non posse.

Quorum A) alteri dicunt, quod „Deum esse“ non potest per rationem inveniri, sed per solam viam fidei et revelationis est acceptum. (Lib. 1 c. gent. cap. 12.)

B) Alii tamen concedunt, quod revelatione supposita vel aliqua sociali traditione primitiva, ipsam Dei existentiam traditione prius acceptam naturalis ratio ex iis, quae facta sunt, demonstrare valet.

C) Alii denique non sub specie commendandi fidem, ut traditionalistae, sed vel scepticismum aut idealismum vel etiam positivismum redolentes, ut Kant, Spencer et huiusmodi, tradunt, rationem humanam nullo modo posse via demonstrativa pertingere ad existentiam Dei scientifice stabiliendam.

D) Ad quorum numerum veniunt adiungendi philosophi etiam illi et theologi, qui validissima argumenta exposita a Philosopho et a D. Thoma impugnare pertendant et tamquam vel incerta vel nihil concludentia audent praedicare; ut postea ipsi argumenta in medium promant, quae revera nihil concludunt, aut ipsam Dei existentiam, quam probare debebant, iam praesupponunt. Etenim testante ipso D. Thoma, error traditionalistarum inde praesertim videtur ortus fuisse, „ex debilitate scilicet rationum, quas aliqui inducebant ad probandum Deum esse.“ (Lib. I c. gent. cap. 12; de Verit. qu. 10 a. 12.)

II. Conclusiones.

Conclusio 1. Existentia Dei, ut Auctor naturae est, potest demonstrative probari.

Prob. 1. Conclusio est certissima secundum fidem catholicam. Concil. Vatic., Const. dogm. de Fide Cathol., de Revel. can. 1: „Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse: anathema sit.“ *cf. „Ascendi“ Piv. I. „et semper“*

Prob. 2. ex testimonio S. Scripturae. Sap. cap. 13, 5: „A magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri.“ Rom. cap. 1, 20—21: „Invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et Divinitas“. Sed hoc non esset, nisi per ea, quae facta sunt, posset demonstrari Deum esse. Primum enim, quod oportet intelligi de aliquo, est „An sit“.

Prob. 3. Ostendere demonstrative existentiam Dei, ut Auctor naturae est, nihil aliud est nisi demonstrare existere in rerum natura: a) aliquod Primum Movens, quod a nullo movetur; b) aliquam causam efficientem Primam; c) aliquid

per se necessarium non habens causam necessitatis aliunde; d) aliquid, quod est maxime ens; e) aliquid intelligens, a quo omnes res naturales ordinantur in finem. Sed haec quinque praedicata vel attributa, quae sunt propria Dei et non nisi Deo soli convenire possunt, demonstrative ostenduntur per quinque vias in a. 3 explicatas. Ex quolibet namque effectu nobis noto, potest demonstrari, propriam causam eius esse; quia cum effectus dependeant a causa, posito effectu, necesse est causam praeexistere.

Prob. 4. D. Thomas sic ostendit falsitatem sententiae dicentium Deum esse demonstrari non posse: a) tunc ex demonstrationis arte, quae ex effectibus causas concludere docet. b) Tunc ex ipso scientiarum ordine; nam si non sit aliqua scibilis substantia supra substantiam sensibilem, non erit aliqua scientia supra naturalem, ut dicitur lib. 4 Metaph. c) Tunc ex philosophorum studio, qui Deum esse demonstrare conati sunt. d) Tunc etiam apostolica veritate asserente: „Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.“ (Lib. 1 c. gent. cap. 12.)

Testimonium ergo omnium creaturarum arguit ignorantiae et falsitatis illos, qui docent, rationem humanam per viam creaturae sensibilis non posse ascendere usque ad Creatorem visibilium omnium et invisibilium. Ad rem eleganter Augustinus lib. 1 Confess. cap. 6: „Hoc est, quod amo, cum amo Deum meum. Et quid est hoc? Interrogavi terram et dixit: Non sum. Interrogavi mare et abyssos... et responderunt: Non sumus Deus tuus, quaere super nos... Et dixi omnibus his, quae circumstant fores carnis meae: Dixistis mihi de Deo meo, quod vos non estis; dicite mihi de illo aliquid. Et exclamaverunt voce magna: Ipse fecit nos. Interrogatio mea, intentio mea; et responsio eorum, species eorum.“

Conclusio 2. Deum esse, ut est Auctor gratiae, non cadit sub demonstratione proprie dicta.

Prob. 1. Conclusio est certissima secundum fidem catholicam. Conc. Vatic., Const. dog. de Fide Cathol. cap. 4: „Hoc quoque perpetuus Ecclesiae Catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed obiecto etiam distinctum; principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; obiecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae nisi revelata

divinitus innotescere non possunt.“ Et de Fide, can. 2: „Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur: anathema sit.“ Illa autem omnia, quae de Deo cognoscuntur, ut Auctor est gratiae, 1) sunt praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest; 2) non nisi revelata divinitus innotescere possunt; 3) tenentur fide divina, quae a naturali de Deo scientia distinguitur. Asserere igitur, quod Deum esse, ut est Auctor gratiae, sub demonstratione proprie dicta cadit, esset destruere duplicem ordinem cognitionis naturalem scilicet et supernaturalem, principio et obiecto distinctum. In hoc enim principio: „Deus, ut Auctor gratiae, est“; omnes articuli fidei implicite continentur, sicut in primo credibili; simili modo ex demonstratione huius veritatis seu propositionis: „Deus, ut Auctor naturae est,“ eruuntur rigore scientifico, quaecumque de Deo per lumen naturalis rationis, discurrendo et ratiocinando, investigare valemus.

Prob. 2. Ex ipsa natura fidei atque scientiae. Omnis scientia habetur per aliqua principia per se nota et per consequens visa seu evidenter cognita. Fides autem est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Et ideo de Deo nec est simpliciter loquendo fides quantum ad id, quod naturaliter de illo cognoscimus; nec est scientia quantum ad id, quod naturaliter excedit nostram cognitionem. (2. 2 qu. 1 a. 4 et 5; de Verit. qu. 14 a. 9.)

Prob. 3. Ex supra dictis qu. 1 a. 1 concl. 2 theologia, quae pertinet ad sacram doctrinam, et theologia, quae pars philosophiae ponitur, differunt secundum genus. Conclusiones uniuscuiusque resolvuntur in diversa prima principia, quorum altera lumine naturali cognoscuntur, altera vero lumine fidei possidentur. Testimonium enim Veritatis Primae se habet in fide ut principium in scientiis demonstrativis. Corrueret igitur differentia inter utramque theologiam, si Deum esse, ut Auctor gratiae est, sub demonstratione proprie dicta caderet.

Inde cum dicitur in Symbolo fidei: „Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem“ etc., et cum in Conc. Vatic. de Fide cathol. cap. 1: „Sancta catholica, Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum coeli et terrae“ etc.;

includuntur: a) eminenter omnia, quae de Deo cognoscere possumus; b) praeterea formaliter omnia, quae Deus de seipso dignatus est nobis misericorditer revelare. Unde D. Thomas a) 2. 2 qu. 1 a. 5 ad 3: „Ea, quae demonstrative probari possunt, inter credenda numerantur, non quia de ipsis simpliciter sit fides apud omnes, sed quia prae-exiguntur ad ea, quae sunt fidei; et oportet ea saltem per fidem praesupponi ab his, qui eorum demonstrationem non habent.“ b) 2. 2 qu. 1 a. 8 ad 1: „Multa per fidem tenemus de Deo, quae naturali ratione investigare philosophi non potuerunt; puta circa providentiam eius et omnipotentiam, et quod ipse solus sit colendus: quae omnia continentur sub articulo unitatis Dei.“ c) De Verit. qu. 14 a. 9 ad 5: „De Deo non est fides quantum ad id, quod naturaliter de Deo est cognitum, sed quantum ad id, quod naturalem excedit cognitionem.“ „Deum esse unum, prout est demonstratum, non dicitur articulus fidei, sed praesuppositum ad articulos. Cognitio enim fidei praesupponit cognitionem naturalem, sicut et gratia naturam. Sed unitas Divinae Essentiae, talis qualis ponitur a fidelibus, scilicet cum omnipotentia et omnium providentia et aliis huiusmodi, quae probari non possunt, articulum constituit.“ (Ib. ad 8.)

Conclusio 3. Esse, quo Deus in seipso subsistit, minime demonstrari potest.

Prob. 1. I Tim. cap. 6: „Beatus et solus potens Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem et lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.“ Quae declarans D. Thomas lect. 3 ait: „Nullus intellectus creatus per propria naturalia attingit ad cognoscendum id, quod est Deus. Et ratio huius est, quia nulla potentia potest in aliquid altius suo obiecto, sicut visus ad altius colore. Proprium autem obiectum intellectus est quod quid est: unde quod superat quod quid est, excedit proportionem omnis intellectus. In Deo autem non est aliud esse et quidditas eius.“

Prob. 2. Quoniam, ut ex professo declarabitur infra qu. 12 a. 4: „Cognoscere Ipsum Esse subsistens est con-naturale soli intellectui Divino; et est supra facultatem naturalem cuiuslibet intellectus creati, quia nulla creatura est suum esse, sed habet esse participatum.“

Prob. 3. Aliud est esse, quo Deus in seipso subsistit, et aliud esse, quod significat compositionem intellectus. Esse primo modo acceptum significat actum essendi; secundo modo acceptum significat compositionem propositionis, quam anima adinvenit coniungens praedicatum subiecto.

Dei esse primo modo acceptum scire non possumus; quoniam est nobis ignotum sicut ipsamet Dei essentia, quacum Dei esse identificatur. Unde D. Thomas lib. de Causis lect. 6: „Illud solum est capibile ab intellectu nostro, quod habet quidditatem participantem esse; sed Dei quidditas est ipsum esse: unde est supra intellectum“.

Dei esse secundo modo acceptum sub demonstratione cadit, dum ex rationibus demonstrativis mens nostra inducitur huiusmodi propositionem de Deo formare, qua exprimat Deum esse. Scimus enim, quod haec propositio, quam formamus de Deo, cum dicimus Deus est, vera est; et hoc scimus ex eius effectibus. (1. qu. 3 a. 4. ad 2; lib. 1 c. gent. cap. 12; in Boet. de Trinit. qu. 1 a. 2.)

Conclusio 4. Licet ex effectibus Dei potest demonstrari Deum esse, attamen per eos non perfecte possumus Deum cognoscere secundum suam essentiam.

Prob. 1. Effectus Dei, qui sunt ipsius creaturae, non sunt proportionati Deo; cum Deus sit infinitus, et creaturae quantumvis perfectae sint finitae. Deus enim est causa, non univoca sed analogica, non eiusdem generis aut speciei sed supra omne genus et supra omnem speciem. Et ideo effectus non adaequant neque adaequare valent ipsorum causae. Per effectus autem non proportionatos causae non potest perfecta cognitio de causa haberi, quamvis ex quocumque effectu manifesto nobis potest demonstrari causam esse (ad 3).

Prob. 2. Creaturae sunt viae, per quas intellectus noster in Dei cognitionem ascendere potest. Sed propter debilitatem intellectus nostri neque ipsas vias perfecte cognoscere possumus. Si igitur ipsae viae imperfecte cognoscuntur a nobis, quomodo per eas ad perfecte cognoscendum ipsarum viarum Principium poterimus pervenire, quod sine proportionem excedit vias praedictas? Etiam si vias ipsas cognosceremus perfecte, nondum tamen

perfecta Principii cognitio nobis adesset. (Lib. 4 c. gent. cap. 1.)

Quapropter D. Thomas, ut imperfectionem hanc exprimat, solet saepius dicere: „Non possumus in statu viae pertingere ad cognoscendum de Deo, nisi quia est“. Et iterum: „Tunc maxime mens in Dei cognitione perfectissime invenitur, quando cognoscitur, eius essentiam esse supra omne id, quod apprehendere potest in statu huius viae; et sic quamvis maneat ignotum quid est, scitur tamen quia est“. Et rursus: „Quando aliquid cognoscitur non per suam formam, sed per suum effectum, forma effectus supplet locum formae ipsius rei; et ideo ex ipso effectum scitur an causa sit.“ (Boet. de Trinit. qu. 1 a. 2.) Et lib. 1 c. gent. cap. 5: „Tunc enim solum vere Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus supra omne id, quod de Deo cogitari ab homine possibile est; eo quod naturalem hominis cognitionem Divina Substantia excedit.“ Et de Pot. qu. 7 a. 5 ad 14: „Illud est ultimum cognitionis humanae, quod sciat se Deum nescire, in quantum cognoscit illud, quod Deus est, omne ipsum, quod de Deo intelligimus, excedere.“ Et lib. de causis lect. 6: „De Causa Prima hoc est, quod potissime scire possumus, quod omnem scientiam et locutionem nostram excedit. Ille enim perfectissime Deum cognoscit, qui de ipso tenet, quod quidquid cogitari vel dici de eo potest, minus est eo, quod Deus est.“ Et de Divinis Nominib. in prologo: „Post omne illud, quod intellectus noster ex creaturis mductus concipere potest, hoc ipsum, quod Deus est, remanet occultum et ignotum.“

At per supradicta Angelicus Doctor nihil aliud vult significare nisi: 1) quod esse Dei, quo Deus in seipso subsistit, est nobis ignotum; ut probatum est in concl. 3; 2) quod cognitio quam de Deo per creaturas acquirere valemus, est valde imperfecta. Attamen possumus scire de Deo non modo quod existit, verum etiam multa alia quae de Deo vere praedicamus. Unde ipse D. Thomas de Veritate qu. 10 a. 12 ad 7: „Sapientia non consistit in hoc solum, quod cognoscitur Deum esse; sed in hoc, quod accedimus ad cognoscendum de eo, quid est; quod quidem in statu viae cognoscere non possumus, nisi in quantum de eo cognoscimus, quid non est. Qui enim scit aliquid, prout est ab omnibus aliis distinctum, appropinquat cognitioni, qua cognoscitur quid est.“ Et in Boet.

de Trinit. qu. 60 a. 3: „De Deo et de aliis substantiis immaterialibus non possemus scire an est, nisi sciremus quodam modo de eis quid est sub quadam confusione.

III. Observationes.

1. Est igitur triplex cognitio hominis de Divinis. Quarum prima est, secundum quod homo naturali lumine rationis per creaturas in Dei cognitionem ascendit; secunda est, prout Divina Veritas intellectum humanum excedens per modum revelationis in nos descendit, non tamen quasi demonstrata ad videndum, sed quasi sermone prolata ad credendum; tertia est, secundum quod mens humana elevatur ad ea, quae sunt revelata, perfecte intuenda. Prima hominis cognitio de Divinis praesupponitur ad cognitionem secundam. Cum enim gratia non tollat naturam, sed perficiat, oportet quod naturalis ratio subserviat fidei, sicut et naturalis inclinatio voluntatis obsequitur caritati. Deum esse et alia huiusmodi, quae per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, non sunt articuli fidei, sed praeambula ad articulos. Sic enim fides praesupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam et ut perfectio perfectibile. (Lib. 4 c. gent. cap. 1; 1 P. qu. 1 a. 8 ad 2 et qu. 2 a. 2 ad 1, et de Verit. qu. 14 a. 9 ad 9.)

2. Inde omnes illi, sivi traditionalistae sive idealistae, sceptici ac positivistae, qui dicunt, Deum esse non posse naturali rationis lumine probari: 1) tollunt e medio possibilitatem ipsam cognitionis supernaturalis fidei; 2) tollunt fundamenta ipsius ordinis moralis; 3) tollunt quoque existentiam Philosophiae Primae, quae vocatur Metaphysica.

Quoad 1^{um}: quoniam sine certa de existentia Dei, in quem oportet credere, cognitione, non datur cognitio ordinis supernaturalis, neque cognitio huius scilicet quod Deus possit, si velit, ad talem supernaturalem ordinem hominem elevare. Et similiter si ratio humana nequit ascendere in cognitionem Dei per ea, quae facta sunt, neque poterit per ea, quae fiunt praeter ordinem naturae, ut miracula et reliqua motiva credibilitatis, venire in cognitionem Dei secreta sapientiae suae nobis revelantis. Quomodo credenda apparebunt nobis evidenter credibilia, si existentia ipsius Dei, cuius tetimonio innititur fides, non praesupponatur apparens atque evidens? Deum locutum fuisse, credimus; Deum autem, qui locutus est,

existere atque veracem esse, scimus. Existentia Dei loquentis, cuius auctoritati assentimur, praesupponitur cognita ante ipsam locutionem et auctoritatem.

Quoad 2^{um}: quoniam „in omnibus causis ordinatis effectus plus dependet a Causa Prima, quam a causa secunda, quia causa secunda non agit nisi in virtute Primae Causae. Quod autem ratio humana sit regula voluntatis humanae, ex qua eius bonitas mensuretur, habet ex lege aeterna, quae est Ratio Divina.“ (1. 2 qu. 19 a. 4.) Sine certa de existentia Dei cognitione corrumpitur a fundamento integer ordo moralis. Praeterea si per rationem naturalem, quae a lege aeterna derivatur ut propria eius imago, non potest homo ascendere usque ad cognitionem Divinae Rationis; tunc a) ratio humana esset regula morum prima, regula sine regula; b) exinde posset stare ratio actus moraliter mali in homine, qui Deum simpliciter ignoraret; c) et consequenter recte ac vere posset contradistinguere peccatum philosophicum (id est peccatum contra solam rationem, at non contra Deum) a peccato theologico. Quod damnatum fuit ab Alexandro VIII. 24 Aug. an. 1690 tamquam erroneum in illa propositione: „Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi; theologicum vero et mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum.“

Quoad 3^{um}: quoniam sicut naturalis de Deo cognitio necessarium est totius vitae moralis fundamentum, ita naturalis de Deo cognitio constituit quasi conclusionem supremam Metaphysicae et veluti coronam totius Philosophiae. Si enim ratio hominis physica et sensibilia non valeret transcendere, vel si non sit aliqua substantia scibilis supra substantiam sensibilem, neque ulla daretur in nobis ultra physicam cognitio. Et tamen „necessitas huius scientiae, quae speculatur ens et per se accidentia entis, ex hoc apparet, quia huiusmodi non debent ignota remanere, cum ex eis aliorum dependeat cognitio; sicut ex cognitione communium dependet cognitio rerum propriarum... Nos quaerimus prima rerum principia et altissimas causas... Ergo in hac scientia nos quaerimus principia entis, in quantum est ens. Ergo ens est subiectum huius scientiae,

quia quaelibet scientia est quaerens causas proprias sui subiecti.“ (Lib. 4 Metaph. lect. 1.) „Philosophia Prima considerationem suam extendit a Primo Ente ad ens in potentia, quod est ultimum in entibus.“ (Lib. 1 c. gent. cap. 70.) „Eadem enim est scientia Primi Entis et entis in communi.“ (Lib. 6 Metaph. lect. 1.)

3. Quamobrem Kant, qui in Critica de ratione speculativa negaverat, Deum esse demonstrari posse, in Critica de ratione practica posuit tamquam fundamentum ordinis moralis imperium solius humanae rationis. Atque Spencer, qui existentiam Dei velut quid ignotum vel inaccessible pro humana mente asserit esse, asserit proinde non dari Metaphysicam seu Philosophiam Primam. Qua de causa vel quo rationabili motivo Deum esse non cadi sub certa cognitione asseruerint, voluerit quispiam scire, audiat illos loquentes. Spencer enim in opere de Primis principiis cap. 2: „L'existence par soi signifie nécessairement l'existence sans commencement, et concevoir l'existence par soi, c'est former une conception de l'existence sans commencement. Or il n'y a pas d'effort mental par lequel nous puissions en arriver là. Concevoir l'existence dans un passé infini implique la conception du passé infini, donc d'un infini terminé, ce qui est une impossibilité. Ajoutons encore, que si l'existence par soi était chose concevable, elle n'expliquerait pas l'univers.“ „Nous avons démontré que l'existence par soi est inconcevable, et cela reste vrai, quelle que soit la nature de l'objet auquel on attribue cette existence.“ 1) Spencer affirmat quidem *Esse subsistens* non posse concipi; sed aliud est affirmare et aliud demonstrare, quod Spencer non facit. 2) *Esse subsistens* importat quidem existentiam sine principio; at concipere existentiam sine principio non implicat praeteritum infinitum, ac proinde infinitum finitum: quod est absurdum; sed implicat nunc aeternitatis, in qua non datur praeteritum nec futurum. 3) *Esse subsistens*, sive *Ens per essentiam*, certe explicat existentiam Universi sive creaturarum, quae, cum sint entia per participationem, ab Ente per essentiam procedere per creationem oportet. 4) Si Spencer vult significare, quod homo nequit demonstrare, id est capere seu attingere ad ipsum esse, quo Deus in seipso subsistit; tunc nihil novi tradit; iam enim D. Thomas et 1 P. qu. 3 a. 4 ad 2 et lib. 1 c. gent. cap. 12 scripserat: „Esse quo Deus in

seipso subsistit, nobis quale sit, ignotum est, sicut eius essentia.“ At tunc Spencer canit extra chorum. Peregrini Metaphysici sunt positivistae isti, qui dum laborant ad Metaphysicam e medio tollendam, invocant in favorem suae causae principium ipsum contradictionis, ibi ubi nulla datur contradictio nisi forte in mente ipsorum positivistarum. Nemo Metaphysicam negare valet, nisi abutendo Metaphysica ipsa.

Kant autem in *Critica rationis purae* sic: „Um einen Grund recht sicher zu legen, fußt sich dieser Beweis auf Erfahrung und gibt sich dadurch das Ansehen, als sei er vom ontologischen Beweise unterschieden . . . Dieser Erfahrung aber bedient sich der kosmologische Beweis nur, um einen einzigen Schritt zu tun, nämlich zum Dasein eines notwendigen Wesens überhaupt. Was dieses für Eigenschaften habe, kann der empirische Beweisgrund nicht lehren, sondern da nimmt die Vernunft gänzlich von ihm Abschied und forscht hinter lauter Begriffen: was nämlich ein absolut notwendiges Wesen überhaupt für Eigenschaften haben müsse, d. i. welches unter allen möglichen Dingen die erforderlichen Bedingungen (requisita) zu einer absoluten Notwendigkeit in sich enthalte. Nun glaubt sie im Begriffe eines allerrealsten Wesens einzig und allein diese Requisite anzutreffen, und schließt sodann: das ist das schlechterdings notwendige Wesen. Es ist aber klar, daß man hierbei voraussetzt, der Begriff eines Wesens von der höchsten Realität tue dem Begriffe der absoluten Notwendigkeit im Dasein völlig genug, d. i. es lasse sich aus jener auf diese schließen; ein Satz, den das ontologische Argument behauptete, welches man also im kosmologischen Beweise annimmt und zum Grunde legt, da man es doch hatte vermeiden wollen . . . So ist denn der zweite Weg, den die spekulative Vernunft nimmt, um das Dasein des höchsten Wesens zu beweisen, nicht allein mit dem ersten gleich trügerisch, sondern hat noch dieses Tadelhafte an sich, daß er eine *ignoratio elenchi* begeht, indem er uns verheißt, einen neuen Fußsteig zu führen, aber nach einem kleinen Umschweif uns wiederum auf den alten zurückbringt, den wir seinetwegen verlassen hatten.“¹

¹ Kritik der reinen Vernunft, ed. Vorländer, Halle (1899), p. 511 bis 513.

1) Qui videtur elenchum ignorare, est ipse Kant. Via enim, quae ex creaturarum existentia perducit ad existentiam creatoris, minime potest esse eadem ac via, quae ex idea entis perfectissimi descendit ad existentiam huiusmodi entis idealis concludendam. 2) Kant confundit existentiam Entis Necessarii in semetipsa cum demonstratione huius propositionis: „Ens aliquod necessarium existit“, seu cum veritate huius propositionis quam formamus de Deo: „Deus est“. Aliud est enim scire et demonstrare esse Dei, Dei naturam, et aliud scire et demonstrare, quod haec propositio: „Deus existit“, est vera. 3) Sufficit quod ex motu, contingentia et effectione rerum sensibilibus mens assurgat ad existentiam alicuius Entis vel Rei necessariae, immobilis, non factae, statuendam. Si iste primus passus est firmus, iam habetur, Aliquid Necessarium, Immobile, non causatum existere; et hoc omnes dicunt Deum. Quomodo autem Deus sit, vel quae sint Dei attributa sive praedicata, aut qualis ipsius natura vel modus existendi, haec adhuc non ostenduntur in hoc primo passu, sed restant in posterum investiganda et qualitercumque declaranda. 4) Minime supponitur adhuc, quod hoc aliquid non causatum involvat omnem perfectionem essendi; sed ex hoc ipso, quod non est causatum, proceditur ad concludendum, quod debet esse maxime perfectum et unum et per essentiam bonum. 5) Minime proceditur ex conceptu entis possidentis supremam realitatem, ut Kant falso supponit; sed ex reali existentia Entis non causati iam ostensa in primo passu per realem existentiam creaturarum fit gradus ad attributa ipsius investiganda et probanda.

Et denique 6) negatur rotunde, quod Kant nunquam potuit nec poterit probare, scilicet: „Da befindet sich denn z. B. 1. der transzendente Grundsatz, vom Zufälligen auf eine Ursache zu schließen, welcher nur in der Sinnenwelt von Bedeutung ist, außerhalb derselben aber auch nicht einmal einen Sinn hat. Denn der bloß intellektuelle Begriff des Zufälligen kann gar keinen synthetischen Satz, wie den der Kausalität, hervorbringen, und der Grundsatz der letzteren hat gar keine Bedeutung und kein Merkmal seines Gebrauchs, als nur in der Sinnenwelt; hier aber sollte er gerade dazu dienen, um über die Sinnenwelt hinaus zu kommen.“¹ a) In Dei existentia probanda

¹ L. c., p. 513 f.

argumentum seu principium viae non est conceptus pure intellectualis contingentiae, sed ipsa rerum contingentia, quae quidem realis est ac intra res ipsas. b) Undenam scit Kant, quod principium causalitatis extra mundum corporeum et sensibilem non habet veritatem? Oportet autem quod Kant vel demonstret, nullum dari nec dari posse mundum nisi tantummodo sensibilem, vel quod in mundo ultra sensibilia dantur effectus sine causa, vel causae ut causae sine effectibus, vel quod ex hoc mundo sensibili non est possibile ad mundum supra-sensibilem assurgere per effectus corporeos ad causam efficientem spiritualem. c) Et denique non sufficit quasi ex tripode pronuntiare, quod „hoc ipsum esse aliquid, quod causa caret, cum lege causalitatis, in quo tota demonstratio nititur, repugnat“; opus est enim praeterea huiusmodi repugnantiam probare. Nam aliud est nihil fieri sine causa, et aliud nihil esse sine ratione sufficienti. Nihil est abs dubio sine ratione sufficienti suae propriae existentiae; sed aliquid est sine causa efficiente, illud scilicet, quod non est factum et est omnium caeterorum factor ac causa. Ut homo deveniat atque evadat philosophus, non est necesse ipsum, cum sit animal rationale, contra ipsius rationis stimulum calcitrare.

Iure merito Cardinalis Gonzalez in Historia Philosophiae de antinomiis Kantianis iudicium ferens scribit: „No se necesita reflexionar mucho para descubrir que sus famosas antinomias se fundan en su mayor parte, ya en la confusion del pensamiento puro con las representaciones de la imaginacion (antinomia de la cantidad); ya en la amalgama y confusion de las partes fisicas con las partes matematicas, y de la divisibilidad indefinida con la infinita (antinomia de la cualidad); ya finalmente en la inexactitud de ideas acerca de Dios como acto puro, y de sus atributos, y acerca tambien de la creacion como accion libre ad extra (antinomia de relacion y de modalidad), en sus relaciones con el universo como sér finito y contingente. En realidad las antinomias de Kant desdican de la profundidad y penetracion de su genio; y sólo se conciben y explican por el afan de establecer à posteriori y corroborar con ejemplos su gran tesis esceptico — idealista. El autor de la critica de la razon pura revela escaso conocimiento de las leyes del raciocinio, y no escasa inexactitud de ideas.“ (Sequitur.)